

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Monvmenta Titvliq, Boni, quibus in funere Gravissimi
Senis ... Domini Melchioris Sebizii, Medicinae Doctoris et
Professoris ...**

Stösser, Gottfried

Argentrorati, 1674

[urn:nbn:de:bsz:31-135661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-135661)





MONVMENTA TITVLIQ; BONI,

Quibus in funere
GRAVISSIMI SENIS,
VIRI

*Maximè Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Excel-
lentissimi atque Experientissimi*

DOMINI
MELCHIORIS
SEBIZII,

MEDICINÆ DOCTORIS ET PRO-
FESSORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, CA-
PITULI THOMANI PRÆPOSITI, PATRIÆq;
ARGENTORATENSIS REIPUBL. MUL-
TORUMq; MAGNATUM ET PRINCIPUM
QUONDAM ARCHIATRI, UNDIQUAQ;
CELEBERRIMI, &c.

Cum, post annos vitæ nonaginta sex de singulis atque omni-
bus bene merendo exactos, naturæ debitum, senio prægravis,
exsolvisset, die qui in fastis memoriæ Conver-
sionis Pauli Sacer est, Anno vulgaris æræ
M. DC. LXXIV.

*Tumulum exornare pro suâ quisq; pietate & obser-
vantia studuerunt.*



ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.



Ergeminis opibus noster SEBIZIUS olim
 arte Machaonia, Pietate & Pacis amore
 dum vixit, valuit: quæ singula quemq;
 coronant

Elogio stabili: Quid non dicemus in illo,
 Quem ferme innumeris meritis, quibus Urbis &
 Orbis

Cura prospexit, centesimus attigit annus!

Ultimum vale

Illustri Viro, Propatri Venerando
 heu! dixit

Gothofredus Stösserus U.J.D. & Pand.

Prof. Ord. Universitatis patriæ
 p. t. RECTOR.

Venerando quondam Seni,
 Melchiori Sebizio, D. & PP. Med. & c.
 Vita tandem defuncto,
 æternum feliciter!

Lustra suos decies noviesq; ivere per orbes,
 Ex quo Te genitum fama fuisse tulit;
 Ergo Noachus eras nostri, quod vivimus, ævi,
 Quem gemino pictor fingeret ore virum;
 Jam vir enim-cum nostra suo perfusa cruore,
 Patria, quanta fuit, tota ruberet, eras;
 Et vir eras, grandævus eras-cum, pace reversa,
 Desineret fundi cœlitus ira DEI;
 Sic in flore suo patriam spectare licebat,
 Et sine flore suo flere dabatur eam;
 Hæc eadem cœpit rursus florescere, parta
 Pace fruens, vires & reparare suas,
 Idque ipsum spectare datum Tibi, cane Sebizi,
 Et grates læto reddere corde DEO;
 Fallor? an immineat Cataclysmus in orbe secūsus,
 Inque suo rursus terra cruore natet!
 Germanam reputo terram, quæ patria nobis
 Hæctenus, & meritis dulcis alumna fuit.
 Sed ne spectares (nec enim & prior ille Noachus
 Plus uno terram vidit obrie malo)

Specula-

Spectares, inquam, rursum, Noache, ruinam,
An Te propterea jusserit ire DEUS?
Ire viam mortis, terramque subire senili
Corpore, sed cœlum visere mente Tuum,
Servet ô ergo DEUS, si quæ decreta ruina est,
Qui vim sustineant mente manaque, viros!

Officium & Votum

Baltasaris Bebelii S. Theol. D.

& PP. Fac. Theol. h. t. Decani.

Noster, ô ille bifrons Janus; SEBIZIUS Heros!
Vitæ subivit terminum;
Hujus & alterius seculi Vir, inclytus annis,
Famaq; par & moribus.
Undique Pacis amans. Numquid male bella timemus,
Jani reclusâ Januâ?
Det meliora DEUS! succedens MAPPIA claudet
Virtus apertam Januam.

*Scrib. Condolent. simul &
voti causa*

Johannes Rebhan. D. Com. Pal. Caf.

Coll. Jurid. h. t. Decanus, Senior, Prof. P.

*Cap. Colleg. ad D. Thoma Canon. Senior.
Custos. &c.*

Ad Virum,

Annis, humanæ vitæ; meritis ac virtute, terminos
gloriæ longe hoc in orbe supergressum, cum is pla-
cida beataque morte defunctus esset.

Æternum salve, æternumque vale, decus orbis,
Urbisque Argypes, ô venerande Senex,
SEBIZI: inque polo meritorum deinde Tuorum,
Magna & virtutis præmia digna cape.
Interea hic nomenque Tuum, laudesque manebunt,
Cæli donec erunt astra, hominumque genus.
Quocum & gratus ego celebrabo, Vir inclyte, famam
Usque Tuam, dum artus spiritus hosce reget.

*Ultimi honoris & observantiæ
causa scripsit*

Samuel Schallesius, Eloq. Prof. Publ.

& Gymnasiarcha, h. t. Philos. Colleg.

Decanus.

Hippocrates quod erat Græcis, Asiæque Galenus,
Germanis fueras Tu, Venerande Senex.
Doctrinâ neutri, medica neutri arte secundus:
nobilitas famæ certat utrique Tuæ.

Ætate Hippocrati propior: si fortè Galenus
Seclo annos nostro vixerit insolitos.
Hac aut par tenuis, aut non longè ambobus es impar:
Est jam quo multum cedit uterque Tibi.

A 8

Namque

Namque animam in felix non noverat ipse, Galenus,
Quam quoque mortalem credidit esse, suam.
Hippocrates verò de se benè senserit, esto:
Non novit verum sed tamen ille DEUM,
Te, Christumq; DEUMq; Tuum benè nosse, juvabat:
Hisque animam sanctâ continuissè fide.
Hinc post tot vitæ longævæ mortuus annos
Æternos vivis nunc sine fine dies

*Ultimi honoris & testandæ erga multa merita
gratitudinis causa f.*

Sebastianus Schmidt D.

Discessit decus Universitatis.
Discedens, decus alterum reliquit.
Non discessit. Adest, manet, videtur.
Patrem Filius exprimit character,
Virtus æmula, Gratia, Ars, Manusque.
Nomen permanet hinc SEBIZIORUM,
Stabit dum Schola, Nomen hoc virebit.

*Venerandi Senis, VIRI undique Celeberrimi, optimeque meritis,
memoriam sanctam habens ser.*

Isaacus Faustius, D.

Lumen Capituli grande Lumen & Schola
SEBIZIUS per lustra quindecim, minor
vix quatuor annis ipse centenario
obiit, valeq; *Capitulo* & dixit *Schola*.
Æqua meritorum sicut annorum facit
conditio, tanti grata Memoria ut Viri
ne pereat unquam. Stabit illa, quàm diu
stabit *Capitulum*, quàm diu stabit *Schola*.

*Æternæ Memoriae
B. Defuncti
ex observantiâ pos.*

*Gerardus von Stöcken / U. J. D.
& Instit. Imperial. Prof. P.
Capit. Thoman. Canonicus,*

Cum signare novo cæpi quinquennia lustro,
Jam Medici fueras gloria magna chori:
Sed mihi tùm primùm successit adultior ætas,
Cum demeratus Te Tuâq; obstupui.
Sectatus tandem patriis loca disita terris,
Splendorem offendi laudis ubiq; Tuæ.

Musas

Musas sanè Italas memini dictasse, Alemannos
Doctrinà Medicos vincere Te solidà.
Gallorum Phœbum memini jaçtasse, Tribocco
Nos hucusq; seni non habuisse parem.
Hac mihi tanta fuit quondam Te causa colendi!
Et fuerit semper, quæ mihi tanta fuit!

T Alia volvo animo, dum funus prodit, & ingens
Ipsè sequor funus, muneris usq; memor.
Pergimus! En tandem vacui ad cava panda sepulchri!
Officij memores Nos jubet esse locus.
Ergo ego, ne videar pridem venerabile velle
Naniolis nomen nobilitare Tuum,
Dum Tibi quisq; bonus satagit persolvere justa,
Hactenus ad tumulum lilia spargo Tuum.

Observantiæ E. sc̃.

Marcus Mappus, Med. D. & P. P.

In beatissimum Obicium
Magni SEBIZII,
Medicorum principis,
Academiæ Argentinensis Senioris,
Capituli Thomani Præpositi meritissimi.

Quam centies, suspiriis penetrantibus,
Precibusq; quasi vitæ, petiit anxie,
Solutionem corporis, Magnus SEBIZ,
Academiæ Senior, Lycei gloria
Nostri, juvante, consequutus est, DEO.
Non vis viro vitam abstulit; sed ut suâ
Sponte pyra, pomaq; decidunt ex arboribus
Matura, coctaque, sic mihi est visus mori,
Animamque sanctam reddere domino suo,
Cujus honor, & nomen manent in perpetuum.

scr.

Johannes Faust, S. Th. D.
Log. & Metaph PP.

Magnum Lumen eras Patrii paulo ante Lycæi,
Quod radios versus sparsit utrumque polum.
Nec pubes Germana Tuis tantummodo scriptis
Proficiens, Medica doctior arte fuit:
Sed Gallos, Italos magna admiratio traxit,
Ut venerarentur nomen utriusque Tuum.
Qui tamen ora Senis coràm videre, loquela
Quæcis audire Tux suaviter verba datum est,
Multo illi gravius, audita morte, dolebunt,
Nec poterunt lachrymas sistere forte suas.

B

Credo

*Credo, quod ex horum voto productat tot annis
Vita Tibi, præter propria vota, fuit.
Nam bene cum faceres equaliter omnibus, à Te
Nemo fuit, qui non verba benigna tulit.
Tàm chari capitis quin optet quisque salutem,
Lugeat & mortem, non dubitare licet.
In Nato superes; sunt & quod spero, nepotes,
Qui Patres & Avos, qui proavosque dabunt,
Ut nunquam non sint Medicorum clara, SEBIZI,
Nomina, qui Patriæ sint in honore sua.*

Viro in arte Medica Summo,
ætate maximè Venerando,
DN. MELCHIORI SEBIZIO,
ita parentabat

Julius Reichelt, Mathem.
Prof. Publ.

Site semideis priscisque heroibus æquem
Admirande senex, non me suffragia docti
Destituant plaususque chori: nec tota vetustas
Audeat, exemplis quanquam vivacibus usa,
Exemplo certare tuo. Quem Græcia mendax,
Grande ut Appollineâ specimen celebraret in arte,
Bis luci dedit, infernis bis reddidit umbris,
Quid tamen is, duplici si se tibi comparet ævo,
Vivendi nisi tyro fuit? qui sera senectus
Sunt aliis, mediæ quid erant nisi terminus, anni,
Ætatisque juventa tuæ? quam plurimum, & ultra
Annorum evectum capitisque incommoda cani
Robur, & infractæ firmo sub corpore vires
Ornabant; igitur meritis, non tempore & annis
Credebare senex: duri cum docta laboris
Arguerent plusquam vegetos monumenta lacertos.
Vidi ego qui vastæ laudata volumina chartæ
Esse viri juraret opus: tua condidit illud
Dextera, transacto cum jam ferme æmulus ævo
Naturæ superasse gradus & culmina nostræ
Depositus legerere senex. Cui meta laborum
Prospera, bis decimo tandem contermina lustro,
Non morbis subversa ruit, non aspera sensit
Tela necis, placidâ verum inclinata quiete
Transiit æternæ læta in primordia vitæ.

Beatis Manibus
Seni meritissimi hoc pietatis suæ
qualecunque monumentum posuit
Ulricus Obrechtus, Hist. Prof. Ord.

AD TUMULUM.

Hospes morare, pœnitebit haud moræ.
MELCHIOR in hoc SEBIZIUS cubat loco,

Is,

Is, cui Minerva vim sagacis ingenI
Puero dedisse, jure creditur suo.
Mox Pieris, inde Suada cum Machaone,
Germana per Lycæa, perque Gallica,
Per Angliam, Bohemiam, per Belgium,
Per Italiam, quam bis adit cum Galliâ,
Enutriere, post dedere Patriæ,
Probè politum. Hinc Patriæ Patres pij
Hoc vindicarunt proprium sibi Decus,
† *Lustris Professor* esset ut *plus undecim,*
Et Poliater, cum laude maximâ, fide
Secundus & jugi labore, nemini.
Benignitate primus, aut par Optimis,
Modestiâque, plurimostanto prior,
Quanto reliquit post se honoris in gradu.

† ab anno
1612.

Has inter Una Cæteris præstat nota,
Quod *Patre Professore* natus, liquerit
Sua in cathedrâ *Filium*, Clarissimum
Vivam Patris Sui Beati Imaginem.

Et educarit in timore Numinis
Natos Duos, Natas Duas, piè, probè.
Cum DOROTHEA, Uxore, plus lustris novem
Exinde *viginti nepotuli* editi
Septemque sunt nepotule, superstites
Ex omnibus *sex & decem* vivunt adhuc
Proneposq;, quos salvos diu servet DEUS!

Cum *lustra bis novem* videret currere
Annosq; quinq;, cum *tribus bis mensibus;*
Ætate summâ & maxime venerabili.
Cœlo redonans spiritum, vitâ exiit.

Sic, qui favente, ceteris rebus, Deo,
Mortale culmen, ante mille, vicerat,
Commune mortis sentit invictæ jugum
Dolore Patriæ, Omniumque Civium,
Et hoc negare posse Patriam nego,
Et Te, Viator, non dolere, pernego.

Tales enim qualis SEBIZIUS Viri,
(Cui justa jam paravimus nos ultima)
Noster fuit, quamvis cis *Centessimum*
Annus supergredi daretur, vivere
Perenne judicandi sunt dignissimi.

Observantiam erga
Venerandum SENEM

*Totamque summis dignitatum decoribus
florentissimam splendidissimamq;*

FAMILIAM, testari volui, debui
M ELIAS KOLB,

ad D. Jun. Petri Pastor.

Quæ toties votis canis grandævus in annis
ambieras vitæ stamina rupta tuæ,
Nunc DEUS, ad gemitus pronas qui porrigit aures,
Concessit, tumulis ossa deditque suis.

B 2

Spiritus

Spiritus æthereas liber properavit ad arces
 gestit ubi aspectu colloquiisque DEi,
 Gaudet ovans, superis nunc & spatietur in hortis,
 Nullus ubi turbat gaudia vera dolor.
 Inter cœlicolas hic celsas ivit ad oras
Ista sed in terris mollis arena tegit:
 Donec in æternâ rursus junctissima sede
 Angelicis poterunt semper adesse choris.

M. Ioh. Theob. Heinrici,
 Past. & Canon. Thom.

M Acrobios numerat multos Scriptura, sed unum
 Qui plane mortis lege solutus agat
 Non habet, exceptis tantum fortasse duobus,
 Quos immortales præstitit Ipse DEUS.
 Ergo quod ad centum prope vitam protulit annos
 Præpositus nostræ qui pius & diis erat,
 Et meritis urbem meritis implevit & orbem,
 Præfuit atque Scholæ tam bene, tamque diu;
 In raris equidem exemplis numerabimus, olim
 De queis posteritas fors quoque sera canet:
 Attamen hoc etiam didicisse licebit in illo,
 Quod vitæ saturus vitæ sit ipsa gravis.

Observantiam & non uno nomine devinctum
 animum Amplissimæ familiæ testaturus
 properante calamo hæc pauca adjecit
M. Johan. Georg. Artopæus,
 Diac. ad D. Thomæ.

Vixit honoratum, funus cui ducimus, ævum,
 Et prope Nestoreos attingit Ille dies:
 Nec sibi, sed patriæ, sed charis vixit amicis,
 Et clarum vitæ nomen adeptus erat,
 Cæsaribus gratus, Magnatum gratus ad aulas,
 Ut medicam ferret sæpe vocatus opem.
 Si Proceres numeres, quos ille creavit in arte
 Doctores medicâ, nomina quanta leges?
 Si libros? totidem non ipse volumina scripsit,
 Qui Illius è scriptis lumina Cœus habet.
 Artis & ut specimen, quàm certa sit, ederet in se,
 Centum annis vixit quattuor Ipse minus.
 Sed vixit: superest, sic actæ ut gloria vitæ
 A serâ possit posteritate legi.
 Ergo, Chori Vatum, ne tanti facta tacete,
 De patriâ meriti, tam bene quippe, Viri.
 Si quid ab ingenio queat huic accedere laudis,
 Dicite, & expromtis accelerate modis.
 Si statuâ melius, magis quæ durabilis ære est,
 Marmoreo melius si tituloque queunt
 Carmina magnorum res perpetuare virorum,
 Hoc opus, hoc vestrum, credite, munus erit.

Ipse

Ipse fuit vates, doctus fuit Ipse Poëta,
 Et versu studuit currere saepe bono,
 Suavis ab eloquio, prosa si diceret, aut si
 Cogeret in certos verba ligata pedes,
 Ut, nisi sit potior laus quam Medicina dedisset,
 Hoc solo ferret nomine grande decus.
 Sed tamen & vestro non indiget Ille, Poëtæ,
 Praconio: scriptis Vivet in orbe suis,
 Quæ quondam à serâ quoque posteritate legentur:
 Vivit & in Nato, vixit ut ante, suo:
 Ipse velut Patris memorabile nomen adauxit,
 Cum nostræ ferret commoda plura scholæ.
 Quin Gener; in Regum magnorum cognitus aulis,
 Res illic patriæ suctus obire suæ,
 Cæsaris inque aulâ qui magna negocia tractans
 Contulit huic publicæ tot benefacta rei,
 Inter adhuc Proceres Urbis quoque plurima confert;
 Non Patris & Soceri facta perire sinet.
 Ergo, quod hæc scribo, non me movet amplius illud,
 Ne tanti possit fama perire Viri:
 Sed meritis omnes sibi qui devinxit, ut Illum
 Officio colerem, post quoque fata, meo.

*Observantia debita monum.
 poneb.*

M. Joh. Christophorus Artopœus.

PÆonis ars quantum possint, ususque medendi;
 Tu defuncte Senex extiteras specimen.
 Sanabas alios, alius sua damna levabas,
 Hac arte, atque Tibi tempora plura dabas.
 Sed rata mors sese sic plurima damna manere
 Tota tumens stimulis rumpitur invidia.
 Protinus ad stygias hinc gestit adire sorores,
 Quæ ducunt, rumpunt stamina cuique sua.
 Primo damna refert, mox hæc precatur & instat,
 Atropos ut rapido pollice rumpat opus.
 Victa videbatur, jamq; admotura malignas
 Illa manus insons ut cadat ante diem.
 Hermes cum venit, simul & Podalirius arte
 Pollens, & prestans turba medentum aderat;
 Oratum Parcæ, ne sic crudelior esset,
 Nec precibus mortis spe prius annueret:
 Præ reliquis Phœbus duras placare sorores
 Tentabat magnum ut discipulum tegeret.
 Exorat Lachésin, ne veo de vellere sumat
 Tegmina, felici mox moderanda manu.
 Inde juvans cantu nentem, nunc pensa ministrans
 Detinet intentam, ut dulcia pensa fluant.
 Hæc fratre & citharam laudans sic stamina fusi
 Longius extendit non retrahenda sibi.
 Sic tantum nevere manus, ut viveret annos
 Tithoni Hic Noster, viveret & Pylaios.
 Contigit Huic Nostro, quod rarius evenit ulli,
 Lustranovem ut felix cerneret atq; decem.

C

Hoc

*Hoc Domini donum qui plures addidit annos
Disceret ut vitam reddere posse DEO.
Quod bene sic didicit, placide ut mundana relinquens
Nunc agat in cælis gaudia multa ferens.*

*Vlt. hon. & observ.
E. scrib.*

M. Fridericus Lersé.

Nunc redit in mentem sœdus, quo morte tenentur
Mortales cuncti claudere fata sua:
Nulla etenim medicina valet, seroq; paratur
Atra vocat cum mors, injicit atque manus.
Sed trahit haud raro vires medicamine sati,
Eripit ex lethi faucibus & Medicus
Ægrotos, quales servasti Clare Sebizi
Arte potens, multos: nunc tamen ipse jaces.
Docta manus quondam dederat que pocula mista,
Claruit & scriptis, languida facta jacet.
At tamen in nobis, vivit post funera nomen
Quod super astra tulit, Filius atque Pater.
Filius æternum valeat, Narique Nepotes
Sint memores laudis, quod precor ex animo.

*Supremi honoris contestandi
causa, f.*

M. Joh. Jacobus Anforg.

MELCHIOR SEBIZIVS
MEDICINÆ DOCTOR ET PROFESSOR
COMES PALATINUS CÆSAREUS
REIPUBLICÆ ARGENTORATENSIS ARCHIATER
ET
CAPITVLI SANCTI THOMÆ
PRÆPOSITUS.

ἀναγραμματισμός.

Alfiatæ communis obit (plorate!) Machaon:
FILIVS ægros
Curat at ex artis præscripto. Det DEUS (ecce
Apprecor!) ipse,
HIC videat similes (erebe! urit? vota valebunt:)
Nestoris annos!

f.
M. Joh. Henricus Rapp.

Exultas frustra Libitina cruenta! superbe,
Quod nunc ense tuocasis Apollo jacet.
Non posuisti vitam: vivit post funera virtus,
Perpetuâ famâ Musabeare solet.
Scripta quibus clares, livor devincere nescit;
Perpetuis sedis omnia penna dedit:
Filius & superest, Sebizius alter Apollo:
Quem Patrios annos tangere, vota fero.

f.
Joh. Dertel Med. Ddus.
Ancipi-

Ancipites animas pallenti corpore functas
Elyze vel medio solitus revocare, Machaon
Insignis, SEBISCH, quare nunc funeris umbrâ
Ipse onerat cymbam, quod gaudet nauta, Charontis?
Scilicet in terris jam dudum innotuit orbi,
Elusitque suis Libitina dotibus artes,
Producens propria in longissima secula fata.
Nunc & in Elysiis, divinus spiritus, hortis
Gemmantes, medicosq; anima decerpere flores,
Gaudet. At hinc tamen haut defecit viribus in se
Artis Apollineæ, sed avens sperata recessit
In loca, naturæ domitor, post busta superstes.

Debitæ Observantiæ testandæ
causa apposuit

Fridericus Wieger.

AD TUMULUM

Siste Viator

Percipe paucis!

Alter Galenus, Pietas, miranda senectâ,
Cum Candore Fides hic tumulata jacent.

*Quid igitur mireris? si tam Venerandi,
nunc piæ defuncti Senis mortem
affectu potius dolore, quàm ver-
bis lessum ciere volueris.*

M. Johann. Günstlein/h. t.
Pastor in Ensisheim.

Decantant alij, quâ possunt laude, senectam,
Asiduo si qua juncta vigore fuit?
Insignes alius titulos extollat honorum,
Per liquidum qui nos Aethera ferre solent.
Ac alij antiquo laudent de sanguine stemma,
clarius ex fama nobiliore nitens:
Divitias alij, quæis gaudet tertius hæres,
Non, quas corrasit fœnore avara manus;
Et multa sobolis patrem, Vestigia patris
Promptè si nati splendora premunt.
Nempe hæc de contentent, hic & majora, beatum
Vt Nostrum dicat quisque fuisse Senem
Nostrum dico Senem, Veneranda mente Colendum,
Quem ævo bis functum sustulit una dies.
Hanc ego jam verè felicem prædico, ceu quem
Fata expectandis eripuerit malis.
Scilicet hu nostru ubi divexare diebus
Nos belli satagunt arma cruenta Patris?
In gremio Ille DEI summa cum pace quiescit
Nec timet inde famem aut bella luemque timet.

Officior Obsevant. contestaturus apposuit

M. Johannes Henricus Schenk.

EXtulit exuvias magni lachrymosa SEBIZI
ARGENTINA: potens quondam capit urna cada ver,
Altaque mens vastos nunc circumvolvitur axes.
Pæoniæ fuerant artes quo sospite visæ
Et exisse caput veterisque insignia laudis,
Exanimi mœrent; luctus tristesque dolori
Permiserunt ALBERTE, tuo, Se funere condi

C 2

Hocce

Handwritten signature

Hocce putant, & verba negat non tristia mætor;
 Et tanti veneranda stupent ad busta dolores:
 Exolvantque suum sacratis manibus alti
 Officium gemitus; & tanti funeris umbram
 Pectore volventes ipsos non tangere causam
 Hanc superos dubitant: & cur plorare reculent?
 Præfica Melpomene dictabis carmine læsum;
 Te sparsisque comis infer mæstissima templis,
 Ad tristes consistite rogos miseranda SEBIZI.
 Fas erit & primum patriis miserescere fati
 Te, Vir magne, piis, & nunc decorare Parentem
 Supremo gemitu. Lachrymas cui sufficit ipsa
 Tot pietas, multos NATIque in pectore luctus;
 Cederis ad patrium tumulum, me vate, locutus:
 Non flebo, quem damna premunt? deslere Parentem
 Non natura vetat: subito sed murmure Divos
 Sollicitem, qui fata probo? contendere celo
 Haud patitur pietas: fati cessisse Deorum
 Terrigenis dignum, noscam sapuisse silendo,
 Atque modum lachrymis ponam, ne causa dolorum,
 Vulnere ne feriant alio mea fata dolentes.
 Dixerat hæc NATUS, Pallas cum proxima busto
 Ad tristes conversa rogos movet ora fatiscens:
 Illa ego, quæ dudum scriptis erecta SEBIZI,
 Dum doctos hoc ore Patres studiosa juvenus
 Imbibit, & priscei quidquid sapere Pelasgi
 Pergameusque Senex, Hellasque & diva Stagira;
 Dum Coi Patris nostris oracula Musis
 Prodidit: arte suâ Parcarum fila repressit.
 Votorum sic pene satur, ductore sub illo
 Surrexi, nituere novis fulgoribus ædes.
 Nunc funesta, gemens cogor superesse sepulchro
 Custodis Patrisque mei. Tu regia luctus
 ARGENTINA comes, communis causa dolores
 Conjugit: tenebris ah involvemur iisdem,
 Quæ nunc involvere Senem, qui contudit ipsa
 Arte suâ lethi sacratâ tela ruentis
 Nunc sibi nunc aliis. Sed jam fortuna ruinam
 Publica (sed frustra NATO vivente) minatur.
 Dixerat hæc Pallas lachrymans, dispersa capillos
 Occlusit Cyrrham, fontemque haurire sacratum
 Impedit: ah adaquans frontes Libethra Poëtis
 Labitur ipsa mihi caris mæstissima guttis.

Gulielmus Niferus,
 Aquisgr. LL. Stud.

Ergo AVEter-venerande, vale! frueret atq; beatus,
 Quæ mille anhelasti gemitibus, seculis!
 Nos memores erimus, ceu par est, usq; senecta
 Venerabilis tua; precantes ut DEVS
 Maximus hos omnes longos conservet in annos,
 Cognatione quos Tibi idem junxerat.

Hoc ultimum officij sui monumen-
 tum ponere debuit

Johannes Paulus Gambs.

Finis.

Serius transmissa quadam.

ERgò & Tu, Venerande Senex, tua lumina claudis,
Atque urbi nostræ sic Valedicis ovans?
Millia multa cadunt, quorum vix unus & alter
Attigit ætatis tempora fera tuæ.
Ante dies iræ magnæ, quibus orbis in undis
Totus disperit, crimina tetra luens,
Ultrà sæpe novem vixerunt secula Patres,
Et tandem senio fessi obiere diem.
At post diluvium ruit omne in pejus, & anni
Fluxerunt hominum more fluentis aquæ,
Quâ de causâ etiam multas pia turba querelas,
Ad cœli misit corde gemente thronum,
Nec tamen id legis poruit mutare, nec ulli
Unquàm concessum est, tam superesse diu?
Ostoginta hodie si quis numeraverit annos
Extremum vitæ terminum adesse putet.
Et ne quis nimium securus fiat, id ipsum
Attendat, multos surripi & ante diem.
Ergò ita vivendum est, ut si fortassè migrandum,
Ad veram requiem transitus esse queat.
Hanc requiem Venerande Senex Tibi gratulor, ah quis
Invideat te jam tot superasse mala?
Jam Proavos & Avos blando complecteris ore,
Et Jesu faciem conspicias ipse tui!
Ergò vale, Sanctosque inter sine fine triumphas,
Nostrum erit æternùm sic meminisse tui.

*debita observantia
μηδένον*

Danielis Rauchii, Diaconi
ad D. Junioris Petri.

Καί@ ἰσποκεστής νόσος ἔμψηρος ἀλάλκωσ
Σώματ@ ἴσκα μόνον κάλγηα πανέμμετα.
Τῆσ ἁκιστείνσ φυλάων ἴσκα ἀποειρ@,
Αἴε παρέχει ἢ φάρμακον αἶμα Θεῦ,
Ἡ μέτερ@ ἢ ἱπσιμῶν ὁ Σιβίλιος ἴσκα,
Τῆσγε ἀκιστείνσ δὴ μάλα ἀμφοτέρησ.
Φερέτω νῦν πόλι ἀργυρέη μῶν μὲν Σὺ ὀλοοσασ@
φίετρον ἢ πόλ' ἐν Κείωσ Ἰσποκεστήσ.

*Ultima venerationis ergo
fecit*

M. Johannes Sigismundus
Larizius.

D

Huma-

Humanæ fortis facies mutabilis illa est,
 Ut firmi & solidi nil reperire queas.
 Cuncta vides fatum per inevitabile volui,
 Illius legem vincere nemo potest.
 Lex ea præscripta est cunctis mortalibus æque
 Fortunæ multis ictibus expositis;
 Quæ post multa pericula, quæ superare tenentur
 Horis elapsis, ultimum obire diem.
 Nulla ætas, rerum prudentia nulla tuetur
 Contra vim tantam, nos miseros homines.
 Nam quamvis longos vivamus Nestoris annos
 Quemque tamen certum est fata manere sua.
 Exemplum clarum præbent tristissima fata
 Summi cum lachrymis adspicienda VIRI.
 Qui fuit insignis meritis SEBIZIUS Ille
 Doctor, qui Medici gloria summa chori.
 Confectus senio venerando debita soluit
 Naturæ carnis pondere deposito.
 Illius quanquam deflet mortem Inclyta proles
 Cognatique quibus dura videtur ea.
 Ejus tristitiæ tamen hæc solatia habebunt,
 Gloria quod nunquam sit peritura VIRI.
 Ejus enim semper vivet post funera Virtus
 Et quoque post mortem fama superstes, crit.

*Hisce paucis Honoratissimo suo Avo
 ultimum honorem exhibere
 voluit, debuit,*

Philippus Kniebs.

Sic tandem, quem rara, sed ærumnosa senectus
 Ornavit, Jovâ sic moderante, dies
 Sustulit una, DECUS PATRIÆ, SIDUSq; MEDEN-
 TUM
 Cujus in æternos splendida fama dies
 Surget, Apollineâ quem postera digna juvenus
 Arte celebrabit dum reget hora dies.
 Molliter ossa cubent TUA, TER VENERANDE
 SEBIZI,
 Rhenanisq; sonet Laus TUA semper aquis.

*Pauca hæc
 Condolentiæ ergo scribere
 voluit debuitq;*

Albertus Daniel,
 Neubromer ab Eisenburg.

Versi

Versi

*Nel funerale del fu Molto Magnifico, & Eccellentissimo
Signor Dottore Melchior Sebizio Professor Pri-
mario di Medicina della Celebre, e sempre famosa
Vniuersità dell' Alma Città d' Argentina.*

Ecco Melchior d'anni carco, e d'honore
Di sua stirpe freggio, decoro, e tutto amore
Di tutta la Cittade, ed Vniuersitare
Passarsene da questa all'eterna etate
Lasciando à noi qui giù la sua fragil Spoglia,
E' l' Alma cotà sùuolare à quella foglia
Degli Angelici Chori, e Spirti Beati,
Per dimorar sene sempre con loro in fatti.
Celebriam mi di tanto Vecchio Venerando
Le esequie, Hinni, Salmi, e Lodi cantando.

fatti in segno d' affecto riuerentiale

Da Benedetto Rolandi Mro D.L.J.

Epitaphlum Anagrammaticum.

DOMINVS. MELCHIOR. SEBISCH.

ARGENTORATI. DOCTOR. MEDICVS.
COMES. PALATINVS. ARCHIATER.
VNDIQUAQUE. IN. GLORIA. VIVIT.

anagram.

mut. G. in O.

VIATOR.

QVAERIS. QVIS. HIC?

MAGNVS. SANE. EST. VIR.

MODO.

IBI. IN. DEO.

DICAM. CLARE.

ALTER. IN. HOC. TVMVLO. CONDITVR.

HIPPOCRATES.

Condolens fec.

Philipp. Ludov. Künast.

Argent.

Eheu! jam venerande vir
Maturare fugam occipis?
Jam dudum corripis, ah! gradum?
Vixisti satis, heu! modo?
At vero satis, & bene
Vixisti, Venerande vir,
Hinc ut tuta reposita sit
Gratis nunc requies Tibi,
Hinc ut gaudia Coelica
Temet jam merito beent.

In honorem

Pientissimi Defuncti

Virif.

S. S.

Vicisti, Venerande Senex, en pausa doloſiſſa
Deque manu Domini cœlica dona capis.
Sæpe inimica fuit morbis victrix TUA dextera,
Jam mortem pedibus conteris ipſe TUIS.
Fortunate Senex. Jeſu qui ſanguine vincis,
Det Deus in cœlis gaudia larga TIBI.
Floreat in terris ſemper Sebizia proles,
Quam precor ut ſalvâ ſoſpitet alma Trias.

*Ita debitam obſervantiam, qua Ampliſſimam Famili-
liam pie veneratur, declarare debuit.*

Johannes Tobias Sartorius, S.S. Theol. Stud.

O Venerande Senex, vita perſuſus & avi,
Nuuc repetis cœlum, noſq; valere jubes.
Ab nunc terra tegit corpus, tot dotibus auctum,
Spiritus at celsâ vivit in arce Poli.
Ærumnas multas ſuperâſti morte beatâ
Et tandem felix gaudia ſumma capis,
Ergo vale, Venerande Senex, ſine ſine beatus,
Inq; Choro ſancto júbila multa cane.

*Ita pietatem erga dilectiſſimum ſuum Dominum
Avum, pie denatum, teſtari voluit.*

Johannes Paulus Sebizius.

Siquid in his terris animum delectat, id vnum eſt,
Avuum quod habui, ſeculum qui viderat.
Vt pater in terris hac ipſa ſorte fruatur,
Eſt quod precor (faxit DEUS!) medullitus
Johann Albert Sebizius,
Nepos.

Vnum nos menſem vix cœpti vidimus anni:
Sed Tu beatitudine
Æterna fruere. Quam præſtat vivere vitam,
Quam nunc Avus vivit! Nepos
Divinum Numen faxit iungatur in aſtris
Vt MELCHIORI MELCHIOR!
Melchior Sebizius, Nepos.

Siccine Doctorem decus immortale SEBIZI,
Et Proavus noſtræ jure vocande Scholæ,
Siccine nunc demum morti ſuccumbis, & eius
Evitata diu vincula dura ſubis?
Sic eſt: at non dura TIBI ſunt illa, beatè
Quandoquidem ſaturos lucis obire juvat.
Ter TIBI namq; fuit diſcordibus obruta bellis
Viſa ac peſtifera Teutona terra lue.
Difficilis quoties proventum terra negavit,
Donec in hæluæctus valle ſuperſtes eras:
Longa dies Priamo quid profuit? Ilia vidit
Diruta, lugubres Trojugantumq; ſonos;
Non Aſiam triſti vidiffet Marte cadentem,
Si prius huic vitæ ſtamina rupta forent.
Scilicet hoc longæ profunt ſtaſtidia vitæ,
Longa ætas etiam nubila longa videt.
Sed TU nunc vivis fatiſ exemptus iniquis,
Oſſa tegit tellus, Spiritus aſtra tenet.

Obſervantia monumentum, p. 4

Samuele Artopœo.

F I N I S.

